



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,  
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

**Busaeus, Johannes**

**Mogvntiæ, M. DCVI.**

39. Dom. 6. post Trinit. de iustitia pharisæorum. Matt. 5.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

34. MEDITATIONES IN

deret. sic ex paruis initiis peruenitur ad  
summa. 2. quales debeant esse piscatores  
hominum, nempe humiles, & qui prius  
sinant capi à Christo quam alios <sup>plant.</sup>  
Deinde, qui Christi vitam & mores sequā-  
tur contemptis huius mundi retribus, id  
est, opibus, honoribus, & voluptatibus.

DOM. I. POST TRIN.

*De iustitia Phariseorum.*

*Matth. 5.*

**D**IXIT IESVS *discipulis.* ( *Nisi abunda-*  
*uerit iustitia uestra plus quam scriba-*  
*rum & phariseorum, non intrabitis in regnum*  
*caelorum.* ) Considera quanta fuerit iustitia  
Phariseorum. crebro ieiunabant, orabant  
in templo & plateis, decimas facultatum  
suarum dabant, gratias Deo pro beneficiis  
agebant, legem in simbriis vestium gesta-  
bant. vide an maior tua sit? 2. considera,  
quam magna sit Euangelicæ legis perfe-  
ctio, quæ legem Mosaicam quo ad moralia  
non tollit sed perficit, prohibet enim non  
tantum externa opera mala, sed etiam in-  
ternas cordis cogitationes, & affectiones  
prauas, quia fontes sunt malorum.

*Matth.*

*25.*

2. *Antiquum dicitur esse, non occides. Ego au-*

*tem dicit.*



rem dico, irascentem fratri reum esse iudicio, qui vero dixerit, raca, concilio; qui fatue, reum gehenna. Considera in noua lege, eadem poena digna cenferi peccata interna & externa; nam non solum qui occidit, sed etiam qui irascitur in corde ira ad occisionem redente, & multo magis qui verbo probroso iram eandem declarat, mortaliter peccat, licet alius alio grauius peccet, & ideo primus iudicij, secundus concilij, tertius gehennæ reus dicitur. Si quis autem ex passione irascatur, vel asperius verbum effutiat, peccatum veniale est. 2. Considera, ista peccata apud homines quidem leuia cenferi sed nõ apud Deum. *Non enim via mea, inquit ipse apud prophetam, sunt* <sup>Isa. 55.</sup> *sicut via vestra, & cogitationes meæ, sicut cogitationes vestra.*

*Si offers munus tuum ad altare, vade & prius reconciliare fratri à te offenso, & tunc offer.* Considera caritatis fraternæ præceptum præponi cultui diuino. Quod si fieri debeat in sacrificio legis veteris, multo magis debet fieri in sacrificio Missæ, & cõmunionis Eucharistiæ, quæ est sacramentum vnionis. *Vnum enim corpus sumus, ait Paulus, qui de vno pane participamus. 2. no-* <sup>1 Cor.</sup> *ta, quod bona opera nostra, quæ tamen* <sup>10.</sup> *sunt*



sunt Dei dona, Deus dignetur accipere loco muneris, cum tamen nihil profuit diuinæ eius maiestati.

DOM. VII. POST TRIN.

De septem panibus. Marc. 8.

1. **I**ESVS ait conuocatis discipulis. *Miserereot super turbam, quia ecce iam triduo sustentent me, & si dimisero ieiunos, deficient in via.* Considera, Christum consilio discipulorum uti, ut discas, siue superior sis, siue non, non spernere consilia subditorum, & simplicium, cum constet Deum respicere humiles, & sapientiam dare paruulis. nota, non doctos, & potentes, sed humilem turbam sequi Christum, & quidem tanto desiderio proficiendi, ut triduo eum secuta sit, non cogitans de cibo. ut discas libenter laborare in institutione populi simplicis & puerorum, & magis anhelare ad cibum spiritualem animæ, quam corporalem, quia si ille desit, verè deficiemus in via spirituali.

2. *Christus septem panibus, paucisque pisciculis benedictis quatuor millia hominum pauit in solitudine.* Considera nos huius mundi viam ad æternam patriam securos transire non

Pf 18.  
Prov.

3.